Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800

Quelle:
Copyright:

carpit *Jandunenſis*, ſtilum tamen utriusque phraſi ſcholaſtica juveniliter turgidum.

DCXCI.

R. 2076 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 110. f. maj. pereleganter ſcriptus et coloribus illuſtratus ita init: *Incipiunt capitula primi libri de uirtutibus moralibus editi a fratre henrico de arimino ordinis fratrum predicatorum.* Agit is *de Prudentia.* Ita ſequuntur Capitula Libri ſeu *Tractatus II. de Juſtitia*, III. *de Fortitudine*, IV. *de Temperantia.* Omnia haec Capitula in Lectiones diſtributa ſunt, de quibus ad finem Indicis monetur: *Predicti tituli diſtincti ſunt per lectiones. quia liber hoc modo ad ciues uenetos in ſcolis fuit expoſitus.* Parum norunt Ordinis Bibliothecarii de Autore, quem circa an. 1314. floruiſſe tradunt T. I. p. 523. neque plura duobus excitant Operis praeſentis Exemplaria *mſs.* quorum alteri finis deeſt. Typis editum ignorarunt. Adjacet autem mihi Editio *Spirenſis* cum Tabula *Thomae de Dorniberg* finita 1472. qui annus etiam Editionis fuerit, f. et *Argentinenſis* ad mox dictam expreſſa, et quidem continuo, cum Exemplar noſtrum *Petrus Engelprecht* primus *Neoſtadienſis* Epiſcopus jam a. 1474. comparaverit. Orditur vero Codex praefixa *Henrici* forma picturata in hunc modum: *Quia ſecundum ſententiam apoſtoli ad hebreos ciuitatem quam corporaliter poſſidemus, non manentem ſed tranſitoriam cernimus, futuram autem in eternum manſuram inquirimus, manifeſte colligimus, quod homo duarum ciuitatum ciuis conſtituitur, terrene ſcilicet et celeſtis. Sed illius quidem, ut inde per mortem recedat, huius autem, ut ſemper in ea uiuendo permaneat. Tractaturi igitur de moribus hominum, de duplici uirtute humana uidelicet et diuina, per quam ad utriusque ciuitatis habitationem reddamur ydonei, aliquid enarrare curabimus. Modus autem tractandi erit facilis et exemplaris, ſecundum quod moralis via requirit et conditio auditoris admittit. Sciendum eſt igitur, quod virtus humana, que ad perfectionem uite ciuilis requiritur, ad duo precipue ordinatur, ſcilicet ad moderationem paſſionum interiorum et ad debitam operationem rerum exteriorum. Circa que regulanda neceſſe eſt quatuor adeſſe uirtutes* &c. Audis hominem non usquequaque barbarum; ſed nec indoctum decurſus probat, nec imparem inſtituto, ita ceterarum omnium Virtutum officia ad illas quatuor dextre reducit. Velles illum modo piis narratiunculis minus indulſiſſe, qualis eſt de Femina comae nimium ſtudioſa poſt obitum in poenam ſe pectinante, quae Tractatum terminat cum addito: *Hec de uirtute morali dicta ſufficiant. Deo gratias. Explicit tractatus de quatuor uirtutibus cardinalibus editus a fratre henrico de arimino ordinis predicatorum.*

DCXCII.